

1364 que se furoris ministros præbituros: latos videlicet, Venetum imperium, ubi alia via non posset, sua solutum iri discordia. Placuit confestim tres in insulam legatos ad ipsos Coloniae principes mitti: quos hortando, ac patriæ pietatis admonendo, tentarent ab infando consilio avertere: data ad hæc potestas, quibuscunque videretur conditionibus insulanos ad imperium revocandi. Missi sunt Petrus Superantius, Andreas Zenus, & Marcus Maurocenus. Nec multo post ferunt quinque alios legatos subsecutos. Sed tam prior illa, quam hæc posterior irrita fuit legatio. Publica mandata non modo non accepta, sed ne audita quidem. Quod, ubi res ad bellum spectare visa est, legati ex insula profecturi, a Venetis triremibus (quæ ex Græciæ emporiis eo forte appulerant) excepti sunt. Præfectus classis inde soluturus, facto in maris accolæ impetu, ad trecentos Creteneses captivos Venetias abduxit. Patres post legatorum reditum uno ordine in perfidos colonos ac reliquos insulanos, qui aperte defecerant, bellum decernunt: quosdam etiam conspirationis principes, nominatim hostes Reipublicæ judicatos, proscribunt. Sed ante omnia ad Romanum Pontificem, & Carolum Imperatorem mittunt: mittunt & ad Lodovicum Pannoniæ regem, ad Joannam Siciliæ Reginam, omnesque fere Christianos Principes ac populos, quos edoctos prius de perfidia & indigna Cretenesium colonorum defectione, oratos volebant: ut si ad justam ultionem nomen Venetum non essent adjuturi, abstinere saltem ab injuria, nec opem illis petentibus exhiberent: certo scire se, nulli non id liquere, Candacem Cretæ urbem Venetam esse coloniam, ac tota fere insula Venetos colonos sparsos: licere parentibus insolentes filios, sua jura detrectantes, si monitionibus aut minis non possint, verberibus in officio continere. Esse itaque Venetis in animo, quia officio & pietate non liceat, Creteneses armis domitos ad imperium retrahere: quod brevi se consecuturos non dubitarent, si illi nulla externa ope juvarentur. Usuros itaque eos officio optimorum Principum, Venetique nomi-